



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

Coloniae Munatianæ, 1665

De Clericis Pugnantis in duello. Titulus XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

conveniret populus fidelium ad divina, cadens tintinnulum, percussit quandam puerum coram eo, qui (cum vulnus esset mortale) decessit. Nos igitur attendentes, quod dicto sacerdoti qui dabat operam rei licita, nihil potuit imputari, si casus omnes fortuitos non praevidit: discretioni vestrae mandamus, quatenus si consulerit ita esse, dictum sacerdotem sacerdotale officium exequi permittatis.

CAP. XXIV.

Clericus pugnando etiam contra inimicos fidei Catholicae, si quendam percussit, & de interfectione ipsius remordet conscientia, a ministerio altaris abstinere debet.

Idem Pelagio Presbytero a.

Petitio tua nobis exhibita continebat, quod cum inimici Dominicae Crucis ac blasphemi nominis Christiani, castrum quoddam, in quo morabaris, graviter invasissent: exeuntibus inde habitatoribus, tamen clericis quam laicis contra eos, ac b invicem confligentibus, hincinde occisi quam plurimi extiterunt. Unde cum pro eo quod aliquos percussisti, irregularitatem metuas incurrisse: Mandamus, quatenus si de interfectione cuiusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet, a ministerio altaris abstinere reverenter: cum sit consultus in huiusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare.

CAP. XXV.

Idem dicit quod cap. Ioannes, supra eod. & tantum ponit diverstatem in facto.

Gregorius IX.

Quidam e (ut asseris) ad adificationem ecclesiae in adiutorium a Presbytero evocatus, reuens cum laqueari, quod idem Presbyter solvere nitebatur, hac occasione rebus est humanis exemptus: & infra. Attendens igitur, quod sacerdos ipse dabat operam licite rei, studuit etiam quam debuit diligentiam adhibere, circumstantibus (quibus periculum imminere) ita tempestive & alta voce praemonitis, quod & intelligere & fugere potuerunt. Inquisit. tua taliter respondimus, quod ob hanc causam, vel quia omnes casus fortuitos (qui praevideri non possunt) forsitan non praevidit, non debet, quoad officium vel beneficium impediri.

DE TORNEAMENTIS.

TITVLVS XIII.

CAP. I.

Torneamenta fieri non debent: & vulnerato in eis conceditur poenitentia: sed si mortuus, denegatur ei sepultura ecclesiastica, si accessit animo pugnandi: secus si accessit alia causa, supputata debita sibi exigeret, hoc dicit, cum cap. sequunt.

Ex Concilio Lateranen. d.

Felicis e memoria Innocentii & Eugenii praedecessorum nostrorum vestigiis inherentes, detestabiles illas nundinas vel ferias, quas vulgo torneamenta vocant, in quibus milites ex condito convenire solent, & ad ostentationem virium suarum, & audacia temere congregari, unde mortes hominum & animarum pericula saepe proveniunt, fieri prohibemus. Quod si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei postea poenitentia non negetur, ecclesiastica tamen careat sepultura.

CAP. II.

Idem dicit quod in superiori cap.

a al. P. Presbytero. b al. et ita invicem. c Praeter Doctores vide hic citatos in e. ex literis. lib. 2. sup. eod. tit. d Conc. Lateran. sub Alex. III. ca. 20. referitur in Pannorm. lib. 1. tit. 11. sive c. 140. e Cap. 1. eod. tit. in 3. comp. vid. Conc. Trid. sess. 25. de refor. c. 19. consule B. Thom. 2. 2. q. 91. art. 8. ad 3. argumentum.

Alexander III. Anaten. Episcopo.

Ad audientiam nostram a noveris pervenisse, quod cum quidam ad locum deputatum torneamenti causa requirendi debita accessisset: [1 & infra.] Nos attendentes, quod huiusmodi ecclesiastica sepultura debeat interdici, qui ad torneamenta animo id faciendi tantum accedentes decedunt ibidem: fraternitati tuae mandamus, quatenus si tibi consulerit, quod ad praedictum torneamentum non animo ludendi, sed percipiendi credita pervenisset, licet ibi fortuito casu obierit, corpus eius dispensatione b ecclesiastica tradi facias sepulturae, maxime si dominicum corpus susceperit, & sacri olei fuerit unctioe perunctus.

[1 Accidit ut violenter & inconsiderate ab equo in quo infidebat super eum cadente compressus mortuus est, sed prius dominicum corpus susceperit & sacri olei perunctione unctus est. Verum pro eo quod in torneamento mortem accepit, a sepultura fidelium prohibetur.]

DE CLERICIS PVGNANTIBVS in duello.

TITVLVS XIV.

CAP. I.

Clericus intens duellum, sive obtulerit, sive susceperit, deponendus est: poterit tamen Episcopus cum eo dispensare si mors vel mutilatio membri non sit inde secuta.

Alexander III.

Porro e si clericus alicui sponte duellum obtulerit, vel oblatum susceperit, sive victor, sive victus fuerit, de rigore juris est merito deponendus. Sed quantumcumque; ejus in hoc gravis sit & enormis excessus, evadere potest depositionis sententiam, si cum ipso suus Episcopus duxerit misericorditer dispensandum, dummodo ex ipso duello homicidium vel membrorum diminutio non fuerit subsecuta.

CAP. II.

Irregularis est clericus non solum si ipse interficit per se, sed etiam si pugil ab eo datus adversarium occidat: nec excusat consuetudo: poterit tamen cum eo circa beneficium habendum dispensari.

Clemens III. d.

Henricus e Presbyter nobis humiliter intimavit, quod cum laicum quendam super furto in seculari placito convenisset, quia testes sui defecerunt, pugilem secundum pravam terrae consuetudinem introduxit, qui reum usque adeo ictibus vulneravit, quod coactus est expirare. Quia igitur super hoc nos consuleret & voluisti, ambiguitatem tuae responsione huiusmodi removemus, quod tales pugiles homicidae veri f existunt: nec praedictus sacerdos, licet non ipse, sed a liis pro eo in duello pugnavit, debet in sacris ordinibus ministrare, sicut tradunt sacrorum canonum instituta. Homicidium autem, tam factum quam praecipit, sive consilio, aut defensione, non est dubium perpetrari: poterit tamen cum eo circa habendum beneficium misericorditer dispensari.

DE SAGITTARIIS &

TITVLVS XV.

CAP. I.

Excommunicandus est sagittarius & ballistarius contra Christianos, hoc dicit.

a Cap. 1. eod. tit. in 2. comp. adde citatos in c. precedenti & c. 1. sup. de corpore vitiatu. b al. dispensatove. al. sta: dispensatione ecclesiastica, tradi facias. Hanc sententiam agnovit Hostiensis, quam etiam vetustiores aliquos codices praefixerunt. c Cap. 1. eod. tit. in 1. comp. d al. Clemens tertius. e Cap. 1. eod. tit. in 2. comp. vid. Concil. Trid. sess. 25. de refor. c. 19. f al. veri, sed in recentioribus. g Sagittarii & Ballistarii in Cod. Barbar.